

ftianorum inter fe diffidentium liberatus fit. Hæc autem docet, per quæ ipse reuincitur. Primum in cap. Martij, omnes Saracenos in infernum ituros pronuntiat: deinde, Euangelium esse ait lucem veteris Testamenti, Azoa. 21. Davidis Psalterium probat, Azoa. 7. Christum verè Prophetam fuisse & Dei verbum: Christum item in cælum cum carne euolasse: Antichristi aduentum, Resurrectionem carnis cõcedunt Mahumetani, & iudicium extremum. Azoa. 16, & 17. Idololatriam, id est, cultum & templa imaginum damnant: item Magiam, aleæ lusum, & scacorum. Præterea vsuras & scenus, & litium vim illam & multitudinem, quæ est inter Christianos infinita. Azoa. 11. 13. 23. Cum infidelibus familiaria commercia non probant. Nimiam item episcoporum & Monachorum venerationem detestantur, & mortuorum sanctorum cultum & inuocationem, qua vna re maximè tanquam vera idololatria semper sunt offensi Saraceni. Atque hæc quidem illi damnant, ex quibus intelligitur, quanta tunc fuerit tum in doctrina ipsa, tum in moribus Ecclesiæ corruptio. Hæc enim omnia damnauit Mahumetus, quibus à Christianis offendiculum præberi tunc videbat. Et certè hæc omnia vitia in Ecclesia passim regnabant. Illa autem quæ sequuntur, docent, quæ, vt verè Saracenicæ, & blasphema, & impia, & ex omnium hæreseôn cloacis & sordibus collecta, à nobis meritò damnantur: quæ eadem ostendunt quàm varia errorum genera iam populariter recepta, & in mediis ipsius Ecclesiæ visceribus grassata fuerint. 1. Negat esse tres in vna eademque diuina essentia personas. Sabellianum, & Arianum est.

2. De